







DISSERTATIO ACADEMICA,

DE
VETERUM HEBRÆORUM
PRIMOGENITIS,
ET EORUM PRÆROGATIVIS,
MAXIME SACERDOTIO,

QUAM
SUB AUSPICIIS
SERENISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS
ET DOMINI,

D. N. F. R I D E R I C I,
HASSIÆ LANDGRAVII, RELIQ.
ACADEMIÆ RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
PRÆSIDE
VIRO PLURIMUM REVERENDO, CLARISSIMO,
DOCTISSIMO,

JOH. JOACH. SCHROEDERO,
SS. THEOL. PROF. EXTRAORD. ET LL. SS. NEC NON ORIENT.
HIST. ECCL. UT ET ANT. JUDAIC. ORDIN.
FAUTORE AC PRÆCEPTORE PIE COLENDO
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBJICIT
AUCTOR ET RESPONDENS
JOHANN DANIEL BOCKWITZ,
ZIEGENHAINA - HASSUS.

AD DIEM XXIII. SEPT. clb lccc xli. IN PHIL. ACROAT.
MARBURG. TYP. PHIL. CASIM. MULLERI, ACAD. TYP.

DISSERTATIO ACADEMICA

DE
VETERUM HEBRAEORUM
PRIMOGENITIS
ET EORUM PREROGATIVIS.
MAXIME SACERDOTIO.



05 H 491

DN. ERICH
ACADEMIAE
VRO. TITULUM PAVLUM, CLARISSIMO,
DOCTORI,
IOH. JOACH. SCHROEDER
22. Dec. 1811. Imprim. et Lit. 22. Nr. 22.
Hic. Hoc. ut et. Juvis. Opus
LITURGIAE AC PRAXIS PASTORIS PER
PUBLICUM KATHOLICUM EXAMEN
EXAMINIS
ACTOR. P. W. W. W.
IOHANN. DANIEL BOCKWITZ
NIEBERWALDE - HALLAE





נשית

DISSERTATIONIS
DE
PRÆROGATIVIS
PRIMOGENITORUM ANTE LEGEM
MOSAICAM.

§. I.

CUm nuper admodum, de edendo aliquo Specimine studiorum meorum Academico, mecum cogitarem, & de eligendo quodam argumento dubius harerem, varia quidem mihi se obtulerunt speciosa, ardua, egregia, sed pleraque, si non omnia, studiis calamisque Virorum Celeb. jam perpolitata: Quare meditabundus in amplissimum campum progressus, & intentius circumspiciens, Viros vidi duos, scriptis cedro dignis per orbem celebratos, famaue super astra latos, ambos sanctæ nostræ confessionis Antesignanos, indeque in gravissimi quidem momenti rebus *quæstionibus*, sed ob quandam canæ Antiquitatis quæstionem dissentientes, & adversis quasi signis copias ducentes; Celeberrimus HEIDEGGERUS ab hac, & Clarissimus VI-

A 2

TRINGA

TRINGA ab illa parte, Duces erant. Ille suis copiis junxerat Hebræorum veteres & recentiores promachos ad unum omnes, & nonnullos ex Patribus Christianis, quibus accefferant non solum ex Pontificiis, sed & Evangelico-Lutheranis, Viri spectabiles, *Corn. a Lapide, Lud. Malina, Jac. a Saa, Andreas Tiraquellus, Casp. Questelius, Joh. Frischmuth, J. A. Quenstedius*; alii ex nostris, *Cloppenburgius, Cartwright, Seldenus, Bochartus, Grotius, Lightfootus, Junius, Tremellius*, cæteri. Hic industria solita, ingenii acumine, ingenti conamine, controversiam auxit, jam motam ab *Outramo, Spencero, Juricuo*: quibus accefferant pariter Viri, rerum divinarum atque humanarum scientia, atque eximiis in Ecclesiam & rempublicam literariam meritis, perinsignes: attendens observavi, dissensum esse de *Juribus seu Prærogativis Primogenitorum*, apud *Patriarchas veteres, filiorum*, ante legem Mosaicam; ane duobus, *Domínio in fratres & dupla Paternæ hæreditatis portione*, contiterint, an vel maxime etiam tertio illo, nimirum *jure offerendi sacrificia seu Sacerdotio* unquam fuerint gavisi; id quod *ille* aiebat, *hic* vero magna negabat contentione. Accessissem forsan absque ulteriori examine *Ambobus*, auctoritate tum utriusque, tum adstipulantium corona, motus, si consensissent; Sed ob constantem eorum contradictionem, id fieri non potuit; at eligere statim alterutram partem, repudiata altera, vel ideo mihi visum est factu difficile, quod memorati partium Duces utrinque sua castra fortissime munita habentes, & armis simul oppugnantibus & defendentibus satis instructos animadvertim: quid mihi factu sit opus deliberavi, tandemque statui, suspendendum mihi esse judicium, ac in veritatem, & ju-

& iustitiam causæ, utriusque ante inquirendum, quam alterutri parti me addicerem. Fieri id posse decrevi, argumento hoc pro Dissertationis Specimine selecto, in quo proposita controversiæ summa, decenti modestia in utriusque sententiæ sensum ac veritatem, adhibitis omnibus ingenii mei, si quæ sunt, viribus, inquirerem; & prout res ipsa postulat, assensum praberem vel differrem. Decretum ita effectui dedi, ut salva cujusque autoritate, prævia matura vocum ac locorum S. S. significatione, collatione, & meditatione, argumenta Virorum Doctiss. uti decuit, expendere, & ab omni præjudicio liber, ea, quæ vera deprehendi, affirmaverim, falsa vero negaverim; qua libertate quisque gaudebit. Ille vero, qui solus ad cognoscendam veritatem supremus Dux & summa Lux est, Deus O. M. ducat me in omnem veritatem.

§. II. De PRIMOGENITIS ergo apud Veteres Hebræos, eorumque ante legem latam Mosaicam juribus, dissertaturus, ab eorum nominis significatione & origine, uti fieri solet, incipiam. In S. literis non solum, sed & in Judæorum scriptis *Primogenitus* ordinarie בכור vocari solet, quod vocabulum Græcis πρεσβυτερος *Senior*, & πρωτοτοκος *Gen. XLIX. 3. Pl. CV. 36.* Suidæ ο πρωτος τεκος *Deus* exponitur; de pluribus vero בכורי *Jes. XIV. 30.* & בכורות *Neh. X. 37.* frequentius apud Rabbinos, legitur. Deduci id nominis vulgo solet a בכר *bikker*, forma in codice S. aliquoties, *Deut. XXI. 16. & Ezech. XLVII. 12.* obvia; sed quia hæc, *Primogenitum constituere & primitias dare* significat, evidens est, illud בכור non a בכר *bikker*, sed hoc potius ab illo, natura & significationis ratione priori & simpliciori, esse deducendum; Ita & in aliis quibusdam usu venit similis formæ gravioris Verbis, ut

A 3

hæc

hæc a Nominibus, non vero Nomina ab illis, deriventur; v. g. עין *attente inspexit*, ab עין *oculus*; און *attendit*, *percepit auribus*, ab און *auris*, &c. Unde in talibus recte colliges, Radicem Nominis vel primam saltem significationem, inter Hebræos esse deperditam, vel inusitatam, adeoque aliunde ex dialectis repetendam, si primam & formalem Vocis notionem indagare velis. Reperitur autem Nominis בכור Radix adhuc in frequenti usu apud Arabas, in بكّر quod ipsum בכר *bakar* Hebræorum, formaliter *tempestive & mane venire*, significat; hinc voces בטוחססס, Hebræorum formis & significationibus adæquate respondentes, בכר & בכר Hebr. בכור pl. בכורים *præcox fructus*, ante cæteros ad maturitatem veniens, *primitiæ* ante messem plenam Deo offerre solita, πρωτογεννηματα; & בכר idem cum בכר *bikker* apud SAADIAM Lev. XXVII. 26. *primogenitum declaravit*. Est itaque & vocatur *Primogenitus* Hebræorum *filius* בכור vi vocis & originalis significationis, *is qui antevortit, seu prævenit, fratres suos omnes natu minores*. Non nescio equidem vocem בכור de animalium brutorum fœtibus etiam primogenitis in S. paginis, ut & Rabbionum scriptis, dici; unde recte PHIL. AQUINAS בכור הנולד ראשון מאדם או בהמה נקרא *bechor vocatur qui primus ex homine aut bruto natus est fœtus*; Sed de his animalium non est hic agendi locus.

§. III. Primogeniti igitur veniunt inter se distinguendi. (1) inter ראשית אנו vel בכור *primogenitum roboris* vel *virium*, qui primogenitus Patris vocatur; & בכר פטר *primogenitus matris*, *Exod. XIII. 2.* inde orta distinctio apud Talmudistas inter בכור לכהונה *Primogenitum ad hæreditatem*, & בכור לנחלה *Primogenitum ad hæreditatem*.

Primogenitum ad Sacerdotium, BECHOROT C. VIII. (2) inter Primogenitum fratrum & primogenitum *μωνογενής*, qui Arabice peculiari nomine *כָּרִוּן* vocatur, *primi* vel *unius partus proles*. Et talis *μωνογενής* etiam *πρωτογενής* dictus, omnium bonorum Patris & prerogativarum primogenituræ ex asse hæres fuit, ut concors affirmat omnium Judæorum traditio, vid. SELDEN. *de Success. in Bona defunct.*) & recte; primus enim est, quem nullus præcedit; uti ultimus quem nullus sequitur, id quod etiam Celeb. LIGHTFOOTUS observavit, *Hebræorum jurisperiti*, scribens, *primo partu editum primogenitum vocant, nec attendunt, an alius subsequatur, vel non, Opp. Tom. I. p. 289.* exemplum adducunt, quod in S. S. Hur Ephrata primogenitus dicatur, tametsi post eum nulla sit natorum mentio, 1 Chr. II. 19. Quo sensu & benedictus noster Dominus & Servator J. C. vocatur *πρωτοτοκος*, Matth. I. 25. Luc. II. 7. non certe, quasi fratres subsequentes ex eadem matre habuerit; sed quod mater nec ante nec post ipsum pepererit: quod omni ævo pie credit Ecclesia Christiana, & contra Helvidium defendit HIERON. in Matth. Cap. I. & S. BASILIUS ait: *ὁ πρωτοτοκος πρὸς τὰς ἐπιγενόμενας ἔχει τὴν συγκαρίωσιν* *Homil. in Nativ. Chr. Tom. I.* (3) Inter Primogenitos natos seu proprie *dictos*, & tales a Parente vel ipso Deo destinatos, seu substitutos: nati fuere Cain, Haran, Esau; substituti, Jacob, Juda, Joseph: hoc vero jus substituendi melioris indolis filium minorem, reprobato natu maximo vel majori, in Patris fuit potestate; postea restringendum, Gen. XLIX. 3. ff. Deut. XXI. 15. 17. Fratres vero minores distinguendi sunt a primogenitis, eo respectu vocati RABBINIS *בְּנֵי אֵלֶּיךָ* vel *בְּנֵי אֶרֶץ* natu *minores* *בְּנֵי אֶרֶץ* filii vel fratres *simplices, communes, vulgares.* §. IV.

§. IV. Primogenitis vero his, certas fuisse concessas prærogativas, ipso Deo, ut putamus, auctore, quoniam typi fuerunt, quas Hebræi הכורה *primogenituram* simpliciter, & משפט הכורה *jus primogeniture*, Græci τα πρωτογονια & πρωτογονια, appellare solent, apud omnes in confesso est: idque triplex fuisse tradunt, מלכות *Regnum* s. *Dominium*, פי שני *duplam portionem*, & כהונה *Sacerdotium*; tria hæc junctim relata leguntur in antiquo libro כראשית רנה Sect. XC VIII. ubi de Rubenis, Jacobi Patriarchæ, natu maximi, filii rejectione sermo est, his verbis. והמלכות היתה שלך. הכהונה היתה שלך. והמלכות ועכשיו שחטאת נתנה הכורה ליוסף. הכהונה ללוי. ליהודה h. e. *primogeniture jus, portio dupla fuit tua, Sacerdotium fuit tuum, & Regnum fuit tuum, nunc vero quia peccasti, tradita est dupla portio Josepho, Sacerdotium Levi, & Regnum Judæ.* Nolo adducere testimonia plura, quæ passim reperiuntur. In eandem enim sententiam consentiunt *Targumistæ, Onkelos & Hierosolymitanus, Talmudistæ Misnici & Gemarici, Commentatores in SS. ut Aben Efras, Abarbanel, Bechai, Jalkut Rubeni, Maimonides; Rituales & juris Judaici Collectores, Judaismi Parastatæ* ad unum omnes, teste SELDENO, Quibus accesserunt ex Christianis Interpretibus Theologis, & Antiquitatum Judaicarum consultis, quam plurimi; Veteres non omnes, quorum consensum ipse Cl. VITRINGA *sententiam vulgatam* appellare non dedignatur. Cum vero idem, & alii quidam V. Doctiss. duas tantum priores Primogenitorum υπερπας, *Dominium nempe in fratres, & geminam paternæ hereditatis portionem*, admittant, illas tanquam εξαγωγως breviter tantum tradam, tertiam vero de *Sacerdotio* ita distinctius exponam, ut

utrius-

utriusque ante sententia argumenta, ac robor, probe perpendam, quam meum calculum adjiciam.

§. V. *Primam igitur prerogativam quod attinet, nimirum מלכות Dominium sive Regnum in fratres natu minores, ejus testatissima est memoria, ad famam insignior, & per monumenta notior; hanc enim Caino etiam concessam & a Deo confirmatam probant Viri Doctissimi, ex Dei ad Cainum verbis ואליך חשוקו ואתה חמסול*

Ad te appetitus ejus (ad te, ut ad majorem & potentio-
riorem respiciat) & tu dominaberis ei Gen. IV. 7. ita enim
praeter alios praestantissimos Interpretes hunc locum expo-
nunt, tum Cel. HEIDEGG. *Exerc. I. Hist. Patriarch.*
tum & Cl. VITRINGA *Observ. S. Tom. 1. Lib. II. c. 3.*
Manifestum porro hoc nativitatibus privilegium ex historia
Esavi & Jacobi, quorum posteriori divinitus id praedi-
ctum, Gen. XXV. 23. & pia Matris cura sub persona
prioris fuit acquisitum, dicente Isaaco וזה נכר לארתיך: *esto Dominus fratrum tuorum & incur-*
vent se tibi, honorem exhibentes, filii Matris tuae; id
eodem confirmante Gen. XXVII. 29 - 37. Itidem ex sub-
stitutionis jure adhuc clarius, ubi Jacobus Patriarcha hanc
Rubenis εξοχήν transtulit in Judam filium, Gen. XLIX.
8. 10. 1 Chr. V. 2. Illud statutum de primogenitis quo-
que ad Antiquas transiit Gentes; ut ad Lacedaemonios:
κατα πρεσβυγενειην δικως τελμηται μαλλον η Ευρυστενους οικη.
Familia Eurystenis honoratior erat quod primogenitus es-
set, HERODOT. Erato cap. LI. idem alibi. Ο μιν Αρτοβα-
ζανης, καθοτι πρεσβυτατος τε ειη παντος τς γονς, και οτι νομι-
ζομενον ειη προς παντων ανθρωπων τον πρεσβυτατον την αρχην
εχειν, i. e. Artobazanes quidem quod omnis paterna sobo-
lis natu maximus ipse foret, cum apud universos homines

fit institutum, ut liberorum natu maximus obtineat principatum, Polyinn. cap. II. & loc. cit. pr. λακεδαιμονιος βαλευσαι κατα νομον βασιληα των παιδων του πρεσβυτερον ποιησα-
 Dai: Lacedæmonios inito consilio creasse Regem e pueris eum, qui esset primigenius, ut lex jubebat. De Persis legitur: Ex his Artemenes maximus natu ætatis privilegio Regnum sibi vindicabat, quod jus & ordo nascendi, & natura ipsa, Gentibus dedit. JUST. lib. II.

§. VI. Altera primogenituræ prerogativa fuit portio dupla (τοις LXX. διπλαν μέρος) fratri natu maximo ex massa hæreditatis dari solita. Hæc פני שני os duorum vocatur Deut. XXI. 17. item הכורה πρωτογονια simpliciter, 1 Chr. V. 2. Deut. XXI 17. verba vero לחה לו פני שני לו לחה לו פני שני det ei de omnibus os duorum que ei, suppetunt ipsi Patri, h. e. quæ possidet Pater bona præsentia. Hoc interdictum divinum supponere statutum de primogenito ejusque prerogativa, nec filium uxoris exosæ suo jure, ex mero Patris lubitu, esse spoliandum, eo in dilectæ filium translato, est manifestum. Porro probat eandem prerogativam substitutio Josephi, in Ephraimo & Menasse filiis, in locum Rubenis a Jacobo facta, Gen. XLIX. coll. 1 Chr. V. 1. 2. quibus obtigerunt duarum distinctarum tribuum sortes in herciscunda terra Canaan. Num. 1. 32. 33. Jos. XVI. XVII. Sicque divisit Jacobus jura primogenituræ quæ solius erant Rubenis, in duas partes, quarum alteram, Regiminis, in Judam (§. 5.) alteram, duplicis portionis, in Josephum transtulit. Quomodo autem hæreditatis massa, ut Primogenitus geminam portionem acceperit, fuerit divisa, RASCHI ait, כנגד שני אחיו ut duo fratres; AB. ESR. autem id docet distinctias: אהו שלושה שיחשבו שהם ארבעה ויקח שני חלקים ואהו שני

: שלשה כנוי שניו si fuerint tres filii, reputentur ut quatuor, & accipiat duas partes; & si bini, putentur ut tres. Si quæras, quare Primogenito Patris cefferint duæ hæreditatis partes? respondent ex illo loco Deut. XXI. כיהו אנו רשות אנו quoniam is est principium roboris ejus. Paræus vero putat, id factum, splendorem familiae, & auctoritatem suæ dignitatis & eminentiæ, melius obtinendi causa: quibus addo, rationem subfuisse typicam, de qua inferius. Et ex hac circa primogenitos lege, VIRI ERUDITI exponunt petitum Elifæ, ut כנוי שניו portio dupla Spiritus prophætæ Elifæ in ipsum transferatur, 2 Reg. II. 9. nec putandum, quod Viri sanctus χαρισματα Spiritus, illis Elifæ duplo majora postulaverit, sed ut quasi primogenitus ejus filius respectu cæterorum prophetarum dupla portione potiretur: quo respexisse videtur Apostolus, ubi vult, ut Presbyteri καλως προεσώτες dupla honoris portione digni haberentur, 1 Tim. V. 17.

§. VII. Progredior nunc ad tertiam Primogeniti prærogativam, quæ secundum Hebræos, & cum iis sentientes, vocatur כהונה jus fungendi sacerdotio, sub quo etiam cæteras functiones sacras, ipsis alias Patriarchis s. Patribus familias incumbentes, intelligunt. Nempe כהונה Sacerdotium dicitur a כהן sacerdos, quod vulgo derivatur a kihen, sacerdotio functus est, vel, ut putatur, generaliori significatione ministravit; At vero כהן, cum sit formæ gravis transitiva, ex illis est verbis, quæ non dant significationem Nomini, sed ab eo ut natura priori eam accipiunt, quemadmodum hoc dixi superius de voce כהן §. II. Præferenda est jure meritoque Plurimum Rev. & Clariff. A. SCHULTENS in incluta Lugd. Batav. Academia Prof. Celeb. Philol. famigeratissimi observatio,

qua vocis כהן significatio deducitur ex Radice Arab. كهن i. e. קרב & נש *appropinquavit, acc' ffit*; unica tantum litera prima כ in cognatam ן mutata, (cujusmodi permutationes literarum omnibus Philebræis sunt notissima) hinc jam constabit, quare כהנים *Sacerdotes* describuntur, per יהוה אל הנושׁי ן *qui appropinquant ad Jehovam* Exod. XIX. 22. & מנשי ן אל מוכחי Mab. I. 7. Eo igitur sensu vox כהן talem significat pro substrata materia, qui *frequentiorem habet ad Deum accessum*, vel ad Regem, *interioris admissiois ministrum*, uti 2 Sam. VIII. 18. Accessus vero ille ad Deum sacrificia offerendi causa, an concessus fuerit primogenitis ante legem, est de quo hic quaeritur, & affirmatur ab hac, negatur ab altera parte.

§. VIII. Ut itaque pateat, quid ob stare videatur, quare ejusmodi *Sacerdotium* Primogenitis ante legem denegandum censeatur. I. rationes *Negantium* cum responsionibus adducam, II. in *Affirmantium* argumenta, & his oppositas exceptiones, inquiram, meamque mentem exponam. *Primo* quidem objiciunt, *in locis ubi primogenitura fiat mentio non memorari sacerdotium*, Deut. XXI. 1 Chr. V. 1. 2. Resp. (1) Unius positio non est alterius negatio, (2) Scopus non erat agere de Sacerdotio, sed illic de translatione iniqua prohibenda, hic vero de Genealogia Israelitarum, eorumque serie, secundum primogenitura ordinem civilem. (3) sufficit in uno duobus vel tribus S. S. locis illud sacerdotium memorari, unde secundum justas interpretationis leges, & analogiam fidei, de cæteris locis eo pertinentibus oportet fieri iudicium.

§. IX. *Secundum* argumentum Virorum Doctiss. produ-

producitur ex exemplis filiorum Patriarcharum, qui hoc jure promiscue sint usi: (1) *Caini & Abelis*, qui ambo obtulere, quisque suum sacrificium, Abel æque ac Cain; quænam hic, dicunt, prerogativa Primogeniti. Resp. Cain obtulit, jure Primogenituræ: vel abutens; & Abel ut substitutus ob fratris improbitatem a Patre. Improbum enim fuisse filium Cainum, Adamo Patri non potuit esse ignotum; adeoque non mirum, si is pari jure substituerit Abelem, quo usus est Jacobus in Rubenem; Nemo enim sumit sibi hunc honorem, sed qui sanctificatus & vocatus est a Deo, ut id ipsum Apostolus dicit de Aharone, Hebr. V. 4. quod mandatum, postmodum videmus, Deum lata lege ita severe cavisse, ne quis præter Sacerdotes Leviticos ad altare accederet ut etiam in transgressores hujus legis graviore ediderit strages & pœnas; uti ex historia Core & sociorum ejus est notissimum. (2) *Vel*, Jus primogenituræ Sacerdotes constituens, non ademit potestatem sacrificandi omnem, cæteris fratribus e familia parentum egressis: postquam enim & ipsi minores natu fratres facti erant familiæ suæ Patres, quod de Caino & Abele probabiliter asseritur, eodem sacrificandi jure utebantur. Plura enim alia fuisse Adamo & Patriarchis Chanocho, Noacho &c. cum Deo frequenter & assidue ambulantis, divinitus revelata, quæ Moyses in concisa historia ante diluvianam, non expresse memoravit, vel sola notitia discriminis animalium mundorum & immundorum, quam Noachus habuit, Gen. VII. 2. nec tamen relata legitur, vel etiam jus leviratus Gen. XXXVIII. 8. quæ lex demum lata a Mose Deut. XXV. 6. docere & persuadere potest; Quapropter hic si unquam valet illud axioma: *a silentio scriptoris non semper*

per firmum ducitur argumentum, & argumenta sola negativa nihil concludunt. Quod attinet ad Jacobi exemplum objectum, quod is vivente patre Isaac & fratre Esavo fecerit sacrificia, Gen. XXXIII. 20. & XXXIV. 1. expedita utique est responsio, quod is adhuc in utero ad primogenituram fuerit destinatus, ipso Deo revelante, majorem esse servituum minori, Gen. XXV. 23, id quod Rebecca & hinc filio fuit notissimum. (2) Quod tamen nulla obtulerit sacrificia, antequam a Patre benedictione primogenituræ donatus & confirmatus, Gen. XXVII. 23, & (3) Pater Isaacus tunc erat senecio cecutiens, & absens, ad sacrificium j m offerendum plane inhabilis, ergo neque hac exempla pro negativa sententia in medium proposita quicquam in contrarium probare videntur.

§. X. *Tertium argumentum contra sacerdotium exinde est petatum, quod Primogeniti sacrificandi jure gavisi sint, vel quando in familia paterna cum cæteris fratribus, Parente adhuc superstite, versabantur, vel ita ut post mortem Patris jus sacra faciendi nulli ex liberis alii competierit, quam primogenito. Prius ait, V. Cl. esse contrarium historię sacræ, quippe in qua actus sacrificandi Patribus familias passim adscribitur; rationi, quia tum Patres familias in familia summi essent, & principatum tuerentur, eos maxime decuisse cæteris præire, & pro familia ad Deum accedere; ritibus priscais, quod honoratissimus sacrificandi munere functus sit; Posterius, ait Idem, esse experientie contrarium. Sed cum ipse V. Cl. relicto eo argumento temperamentum affirmantium proponat, quod extat apud Cel. HEIDEGG. Hist. Patr. Exerc. I. §. 19. „Sacrificasse primogenitum patre absente, vel „ defun-*

defuncto, antequam familia dispersa, & in partes tracta⁴ esset. Ubi vero familia in plures divisa fuit, cuique⁴ fratri omnino dari jus sacrificandi, licet non ea dignitate qua Primogenitis, qui in omnibus rebus antecelluerint.⁴ Vera hæc sunt; sed quid excipit Vir laudatissim⁴ *putem*, inquit, eos rem fere concedere, nomen tamen, ne veteribus fiat injuria qui adeo fortiter hoc dogma urserant, retinere velle, addit, quis enim neget, si familia absente Patre sacra vellet facere, tum maxime hoc quicquid est muneris fuisse impositum primogenito, sed, ita pergit, quis neget etiam Primogenito absente vel defuncto hoc officium mandatum fuisse filio secundo, aut tertio genito. Resp. Bene est, si sit fere consensus inter partes, sed est tamen non levis dissensus; eo quod V. Cl. dum omnibus fratribus prerogativam hanc intendit communem statuere, eam revera tollat; Primogenitus enim, in familia adhuc vivens, Patri vigore primogenituræ erat substitutus, isto mortuo succedebat utique secundus, & huic defuncto pariter tertius natu: Id quod ex historia Caini patet, qui cum mortuus esset *spiritualiter*, uti loquitur Lutherus, substitutum habuit a Parente Abelem, hoc *corporaliter* occiso, successit natu tertius Sethus, qui in Genealogia Adami obtinet locum Primogeniti, ubi legitur Adam genuit Sethum, Gen. V. 3. successit, inquam, sed non eo sensu ut V. Cl. supponit, quasi liberum fuisset cuivis juniore filio, præter ipsius Dei, & Parentis vocationem & substitutionem, ex arbitrio ad altare accedere, & sacra facere, id quod omnino negamus. Post mortem Patris, primogenitus utique gavissus est suis prerogativis, *dominio & dupla portione*, quin & *Sacerdoti* honore, inter fratres familiæ adhuc inhærentes non solum,

sed

sed & *υπεροχη* saltem inter egressos, qui licet singuli seorsim sua gauderent, ut Patres novæ familiæ, offerendi dignitate, tamen præsentem alicubi primogenitum non poterunt non, ut totius familiæ principem, aut Majorem agnoscere, eique honoratiorem ubique locum concedere.

§. XI. *Quartum* argumentum producitur ex ritu precum collato cum ritu sacrificandi; Nimirum, cum ante institutam Oeconomiam Mosaicam, quovis in loco liberum fuerit preces ad Deum fundere, neque in eo agnoscamus ullius præ alio prærogativam; videri existimandum eodem plane modo rem se habuisse cum sacrificiis, si quidem illa primaria pars cultus erant summi Numinis, ad quem quilibet ex æquo tenetur: adeoque sacrificandi jus non constituisse prærogativam Primogeniti. Resp. (1) Ipse V. Cl. jus offerendi, saltem potius tribuit patrifamilias, adeoque non cuivis ex filiis, (2) precantes pia desideria supplices Deo proponimus, atque liberationem a reatu & corruptione, aliaque bona desideramus; sacrificantes vero, beneficia, sanctificationem & justificationem; quarum illa corruptio tollitur, hæc reatus: ea nempe *σχερα* Evangelica significant sacrificia, quomodo possit peccator in gratiam cum Deo redire, & a peccatis justificari: Est igitur & manet differentia, præter illam quam ipse V. Cl. agnoscit inter preces & sacrificia; siquidem illæ sunt desideria, hæc rei desiderabilis fundamentum in Christo solo positum: quoniam hunc honorem nemo sibi ipsi sumere poterat nisi vocatus. Christus enim solus verus Pontifex est, & solus sufficiens, qui unico sacrificio consummavit sanctificandos omnes, Hebr. X. 14. Ergo non fuit eadem ratio precum, quæ sacrificiorum, quorum illæ omnibus libere, hæc sacerdotibus, ut typis Christi, pro-

propria fuerunt (3) unde flueret quoque hoc absurdum: mulieribus etiam hac ratione jus ad sacrificia fuisset idem quod ad preces.

§. XII. Subjungitur *quintum* argumentum pro ea sententia, qua negatur Primogenitos habuisse quoque jus sacrificandi; desumitur illud a Paschate in Ægypto, ipso die exitus mactato & offerendo ab omnibus Israelitis, Exod. XII. 6. nulla omnino inter ipsos observata distinctione, unde infertur *cum cuique Israelitarum datum sit jus mactandi agnum Paschalem, frustra Primogenitis solis hanc potestatem asseri, quorum nulla in hoc casu apud Moysen mentio.* Resp. (1) Ipsos quoque Judæos distinguere, inter פסח של מצרים *pascha Ægyptiacum*, & פסח של רורות *pascha sequentium seculorum*; ac fatentur multa in illo obtinuisse, quorum nullus usus, observatio nulla, fuerit atatibus subsequens; *vid. MAIMON. in Hilch. pesach*: de quibus hic prolixius agendi non est locus. (2) non ignotum est, uti sacrificia quævis, ita & pascha, mactari potuisse a quovis sacrificium offerente; & hoc est quod dicitur loc. cit. Exod. XII 6. inde certissimum Viro Clariss. mactationem non necessario fieri debuisse a Sacerdote, sed Sacerdotalem functionem initium sumsisse *או הוריקה a sparsione*. Præterea fatetur V. Cl. sanguinis adspersionem ad superliminare peragentes, fuisse spectandos ut *Sacerdotes*, itaque non quisque erat Sacerdos.

§. XIII. Expeditis ita his & exemtis scrupulis, quibus sententia eorum, qui sacerdotii prærogativam primogenitis tribuunt, premebatur; etiam quasdam rationes adducam, quibus eadem sententia probatur & adstruitur, sed simul eandem a dubiis sive exceptionibus, quibus

bus illa tantum non supprimitur, liberare contendam. Sunt autem rationes sequentes I. Exod. IV. 22. Israel enim ibi vocatur Primogenitus & filius Dei, qui jubetur dimitti, ut Deo serviat, nimirum quoque festum celebrando cap. V. & sacrificia offerendo, phrasi desumpta ab honore & amore primogeniti, ut Optimi Interpretes judicant, v. g. Rever. WITSIUS in *Oecon. foederum lib. III. X.* quæ quoque adstruitur interpretatio, quoniam non omnes Israelitæ erant proprio sensu primogeniti, hinc necessario improprio Israel vocatur Primogenitus; Primogenitus vero duplicem exhibebat personam, (1) *fratris vulgaris*, in statu Israelitæ nati, (2) *primi nati*, in statu honoris præ fratre, & prærogativis ornati: jam vero non potest intelligi *primo modo*, neque ita Pharaoni, dimissionem Israelitarum suadebat, neque omnes erant Primogeniti nati, quod per se patet: Ergo *secundo modo*, quatenus Primogeniti certis prærogativis ornati erant; describitur nunc illa, quod Deo deberent servire, sacrificia offerendo §. 23. seq. idque dum filii Dei; (quinam Primogeniti erant Exod XIII. 2.). Qui sacrificia offert est Sacerdos (immediate qui ad Deum accedit, ut supponimus,) hoc utique probat, quod primogeniti illam haberent Sacerdotii prærogativam.

§. XIV. Progredior nunc ad rationem II. Eo tempore quando Israeli, ex Ægypto jamjam egressuro, Deus per Mosén populo de Paschate, & aliis parandis, varia dedit mandata, etiam hoc fuit Exod. XIII. 2. קדש לי כל בכר הוא פטר כל רחם כנני ישראל כחדם וכנתמה לי הוא (*consecra sanctifica mihi omne primogenitum, aperturam omnis uterû (omnem emissionem primam,) inter filios Israelis, inter homines & inter bestias, mecum est.* Peculiari modo aliquid Dei

Dei esse dicitur (1) ratione creationis atque dependentiæ a Deo perpetuæ, ita tota terra & plenitudo ejus, & bestia & sylvæ, Dei sunt Ps. L. 10-12. (2) ratione vocationis ex Gentibus, qua totus populus Israel Deo sanctus erat, (3) distincte præ cæteris Dei sunt illi ex populo, quos peculiari & maximo beneficio sibi denuo devinxit; tertio hoc modo præceptum illud intelligitur, ut manifestum est ex Num. III. 17. dum primogeniti Dei dicuntur inter *Israelis filios*; Primogeniti itaque ex populo, Deo sanctificari jubentur, jam separati, quod שׂרָק indicat, hoc verbum vero in prima forma intransitive *Sacrum* vel *Sanctum esse*; in tertia activa gravi seu in Pihel transitive *sanctum*, vel *sacrum, declarare* seu *renunciare*, uti notum est, significat; Sanctificatio nunc erat *vel hominum*, nam שׂרָק de illis legitur, nempe Sacerdotibus. Exod. XXX. 30. XL. 13. itidem de Isai ejusque familia 1 Sam. XVI. 5. & alibi; *vel victimarum*, Lev. X. 17. &c. *vel aliarum rerum*, de vasis sacris Exod. XXX. 29. de altari ibid. XXIX. 37. itaque quale subjectum, talis etiam requirebatur sanctificatio. Anne nunc vero Primogenitorum sanctificatio constiterit in vestium lotionem, uti Exod. XIX. 10. textu silente, inquirere nihil attinet: certe præparatione ad Dei servitium illis destinatum, ut consecrentur innuitur, (non vero id factum esse puto, tanta rituum farragine, qua postea sacerdotes sub lege fuerunt initiati) quod patet, omne primogenitum cum præcipitur sanctificandum inter homines & bruta, nimirum quodque suo modo: aliter enim homines, aliter bruta, ad servitium Dei, & usum sacrum debebant consecrari; quoniam illi, qui vocabantur, omnino propioris ad Deum accessionis erant: Ad quid vero nunc, dic fodes, consecrati fuerunt Primoge-

mogeniti, nisi ad sacrum munus in cultu Dei suscipiendum: ad sacram quandam actionem; eadem enim ratio est mandati de brutis & hominibus, nempe ad cultum Dei destinatis; sed illa ad sacrificia, hi ad sacerdotium, tanquam homines.

§. XV. III. Substituti utique fuerunt Primogenitis Levita, Num. III. 12, 41. quæ substitutio dicitur Israelitis in desolationem facta, Ezech. XX. 26. sub lege Mosaica, quod lubentes concedimus V. Cl. teste S. S. sed hinc manifeste fuit, antea cum nondum illud caeremoniarum choragium vigeret, nec sacrificantes alios ministros subservientes haberent; Primogenitos simul Sacerdotum ministerium habuisse, quod enim quis non habet alteri dare nequit: itaque dum Levita ex substitutione acceperunt sacra administranda, hæc acceperunt ex primogenitis: adeoque hi jure meritoque dicuntur Sacerdotes, Exod. XIX. 22. (quod IV. argumentum) Hebræi omnes, quotquot Primogenitorum sacerdotium agnoscunt, per hos כֹּהֲנֵי non alios intelligunt, nisi illos ipsos quos Moses jussit sanctificare loco superius citato Exod. XIII. 2. Sic Belgæ Doctiss. & Cloppenburg. quos citat ipse V. Cl. & quam plurimi alii. Et certe inconvenientissime finguntur alii Sacerdotes h. loco, v. gr. honoratiores in populo, & Seniores, & Mosi proximiores, in regimine florentes atate Viri vel juvenes, promiscue ex Israelitis electi, corpore puri & excellentes, præter eos quos Moses testatur fuisse a Deo consecratos Primogenitos; & porro quæro, annon Primogeniti, prærogativa Domini, & dupla portione gaudentes, fuerint cæteris honoratiores, & quibuscunque aliis longe spectabiliores?

§. XVI. Sed hic *προς δὲ λαίην τῆ υποθεσει* in alia omnia

omnia ab it V. Cl. pro summa etiam qua inclaruit eruditione, exceptiones undiquaque conglomerans. Hinc supponit (1) Primogenitos hominum Deo fuisse consecratos non ut sacerdotes, sed ut sacrificia: hinc nunquam habuisse speciem sacerdotum, sed ministrorum sacerdotalium quam hypothesein urget, (2) ex vocis כהן significatione, qua illi præferantur Levitis, (3) Levitas solos non vero sacerdotes fuisse substitutos primogenitis, (4) Levitas Deo consecratos Primogenitis substitutos fuisse spectatos ut sacrificia, Deo ad aram oblata, ac proin ipsos quoque primogenitos, (5) hinc iis ut sacrificiis manus fuisse impositas, (6) ita per Levitas factam esse expiationem, (7) & eos fuisse aggratos: Ad quæ singula respondebo, sed quam fieri potest, brevissime; adeoque ad a) frustra supponi, Sacerdotes ante Legem latam ejusdem fuisse conditionis, cum illis, qui fuerunt post eandem; illosque fuisse a Primogenitis distinctos, uti postea Levitæ a Sacerdotibus, cum unum tantum ordinem legamus Primogenitorum Patriarcharum ævo, non vero duplicem vel subordinatum uti Levitæ a Sacerdotibus fuere discreti. Ad β) Levitas non sacerdotes substitui primogenitis: illosque dari Aharoni & filiis ejus jubet Deus, Num. III. 45. VIII. 5. 15. 16. 19. Aharoni verò & filiis ejus datum sacerdotium, Num. III. 10. Nota: Levitæ dicuntur vel *congregative*, ita includitur & ipse Aharon cum filiis suis, Deut. X. 8. 9. XVIII. 1. Jos. 13. 33. vel *distinctive*, ut excludantur illi e gregariis Levitis, postquam familia Aharonis ex reliqua tribu erat exempta, Num. III. utroque sensu legitur substitutio facta Levitarum loco Primogenitorum; tota enim tribus, in qua & Aharon cum filiis continebantur substituta fuit primogenitis; Etenim Aharon Levita Exod. IV. 14. & filius ejus in recensio-

ne princeps Ordinis Eleazar, Num. III. 32., tota tribus habebat hoc commune, quod ad ministerium Deo consecrentur, nec hæreditatem, uti reliqui Israelitæ, in Canaanese consequeretur, sed ex decimis, aliisque beneficiis, viveret, Deut. XVIII. 1. & 1. 5. hinc *Sacerdotes* vocantur: quin & in ipsa familia Aharonis observatum adhuc aliquod primogenituræ jus tum temporis; & illius semper, nisi quid obstaret, habita est ratio, ergo non soli Levitæ *distinctive* dicti Primogenitis sunt substituti: ad γ.) Levitas ergo Deo consecratos ut sacrificia, quoniam Sacerdotibus inferioribus, sed tamen sacris & publicis, Ministerii functionibus, a Deo solemniter consecrati, ministrabant; eo minus vere asseritur, quod adhuc post distinctionem Sacerdotum & Levitarum, hi vocantur illorum fratres, suo singuli ordine in tentorio conventus, & rebus sacris suo muneri præscriptis vacabant, Num. XVIII. 2--7. Neque id probatur ex phrasibus, in consecratione Levitarum æque ac sacrificiorum adhibitis. Ad δ.) Non certe id probat impositio manuum, Num. VIII. 10. facta in Levitarum consecratione; non solis enim sacrificiis fuerunt impositæ manus, quod dissimulat V. Cl. sed & hominibus ad munus aliquod consecratis: ita Josua, Mosis ut Duci exercitus Israelitici substituendo, Num. XXVII. 18 22. Deut. XXXIV. 9. unde & in Ecclesia Christiana hic ritus, Impositionis manuum Ministrorum sacrorum, eo sensu bene est servatus, Act. IV. 6. 1 Tim. IV. 14. Non vero ut considerentur ut sacrificia Deo offerenda; nisi velis id sensu intelligendum spirituali; quo utique debemus sistere corpora nostra *θεοσταν ζωσαν αγιαν ευαρετον τω θεω*, qui sit cultus noster rationalis, Rom. XII. 1. Sacerdotes æque ac Levitas, imo omnes omnino homines obligans. Ad ε.) Non ignotum utique
V. Cl.

V. Cl. expiationem fieri tam per sacrificantem quam sacrificium : utrumque legitur, illud כפר de hominibus circa sacrificia operantibus, Exod. XXX. 10. Lev. IV. 2. V. 10. XVI. 24. XVII. 11. & ita intelligitur, ibid. Num VIII. 19. Levitæ enim sunt homines & ministri; & hic sensus ex antecedentibus fatis corroboratur, dum dicuntur לעכרה את עכרה Ad 5.) Alius erat agitandi mos & ratio in sacrificiis, quam Levitis, in elevatione & demissione ad quatuor mundi plagas; & oblatione, quasi exhibitione Deo facta: vel. ut loquitur Cl. Outramus, quod fuerit significatum Deo illa rite porrecta esse: & hæc significatio locum habet in Levitis, qui in officio, quaquaversum mitterentur, ad eundem ut sint prompti & expediti. Ex quibus omnibus concludo frustra supponi, Levitas Primogenitis substitutos fuisse spectatos ut sacrificia.

§. XVII. Sed omnino sine fundamento dicitur, legem illam de consecrandis Deo Primogenitis, Exod. XIII. 2. ante Levitas iis substitutos, executioni datam non esse. Rationem adducit V. Cl. ex com. II. 12. ubi dicitur, quod cum venerint Israelitæ in terram Majoribus ipsorum promissam, & exhibuerint το διανοσων την ψησων, munda quidem ex animalibus Deo offerant, immunda redimant, & Primogenitum hominis etiam ex filiis suis redimant. Et, ait, hujus præcepti usum fuisse nullum, nisi postquam Israelitæ ingressi essent in terram Canaan, vel postquam Deus propius de iis statuisset. Addit Primogenitos nunquam actu fuisse consecratos, sed id hoc tempore tantum præcipi, ut aliquando consecrarentur, sive per ipsos sive in Levitis illis substituendis; pergitque, si Deus Primogenitos ipso actu, ut ajunt, sibi sacros esse voluisset, non fuissent primogeniti, absque aliis ceremoniis quam Levitæ, iis postmodum substituti,

tuti, a Deo consecrati. Resp. Miscentur & confunduntur præcepta apud Moſen distinctiſſima. Peculiaria certe ſunt præcepta cap. XII. & XIII. 2. de ratione Paſchatis & Primogenitorum extra terram Canaan: & peculiaria ſunt, quæ ſubſequuntur intra Canaan obſervanda, eadem de re nempe de Paſchate atque Primogenitorum conſecratione: Quis enim neſcit, plura Moſis præcepta ubique ferme in uno eodemque capite contineri. Hinc Comm. 3. præceptum aliud ſubjungit, quod per וְאֵת diſtinguit, quomodo Paſcha in Palæſtina ſit celebrandum, a י. 5 -- 10. Cui adjicitur, ut in antecedentibus, præceptum de ſubſtitutione Primogenitorum hominis, & redemptione, a י. 11 -- 13. de qua redemptione prolixius agit Moſes, Num. III. 46. XVIII. 16. Ergo verſus 2. non eſt confundendus cum 11 -- 13. utpote in quibus diverſa præcepta traduntur. Et præterea, ſi demum in Canaane conſecrati eſſent primogeniti, illa ſubſtitutio & redemptio in deſerto jam facta, Num. III. plane nulla conſecratio fuiſſet nominanda. Imo ſi hoc de primogenitis ſtatutum, י. 2. executioni non fuiſſet datum, excipi poſſet etiam illud de paſchate non fuiſſe executioni datum, quoniam eadem mandatorum methodus, ut in antecedentibus, ita in conſeq. eadem ratio eſt. Sed quid dicit Jehova? ſe ſanctificaffe ſibi Iſraelis primogenitos, Num. III. 13 qua ergo ratione, Moſen executioni non dediffe præceptum Jehovæ, poſſet cogitari? hæc certe ſunt אֲשֶׁר אָמַרְתִּי . Quæ tandem profert de ceremoniis in Primogenitorum conſecratione adhibendis, fruſtra dicitur: hoc tantum notamus illas non eſſe de eſſentia conſecrationis, ſed in liberrimo Dei arbitrio fuiſſe poſitas.

§. XVIII. Accedit V. ratio, qua probatur Primogenitorum ſacerdotium; Extat illa Exod. XXIV. 5. וְשֵׁלַח אֶת

את נערי בני ישראל &c. & misit juvenes filiorum Israelis, qui obtulerunt holocausta & sacrificarunt sacrificia Eucharistica Jehovæ. Hic iterum omnes Hebræorum Doctores & Christiani plerique consentiunt, istos juvenes filiorum Israelis fuisse istos primogenitos a Deo consecratos §. XIV. כהני appellatos §. XV. Sed ait V. Cl. quare hos non vocat הכורים Primogenitos, siquidem illi tales fuerunt. Resp. Quoniam eos satis agnoscunt Israelitæ, quos jam satis declaraverat tales, utpote quos solus Deus, procul dubio ad tales actiones sacras, consecraverat, eosdem ut כהני Sacerdotes designaverat, quos nunc ab ætate describit, juvenes eos appellando, qui nempe in solemnibus hisce sacrificiis offerendis Mosi essent legitimi administri. Sed quæro vicissim, quare Moses ex Israele alios selegisset Juvenes, quam quos jusserat Deus sibi ut suos consecrari? anne alii digniores in exercitu Israelitico his præferri poterant? cum per Juvenes neque Seniores neque Patres familias intelligi possint. Juvenes itaque primogeniti suis prærogativis præ aliis conspicui ad officium fuerunt requisiti. Siquidem ipse V. Cl. fatetur, apud omnes gentes, in more fuisse positum, ut is, qui inter alios erat honoratissimus, sacrificandi munere sit functus. Hunc vero morem ab Hebræis ad alias gentes dimanasse, probabile existimo.

§. XIX. Hæc omnia quæ supra dixi, in plena luce collocantur, & mirum quantum confirmantur, ex mutua collatione Typi cum Anti-Typo. Primogenitos enim typos illustres fuisse ipsius Christi antitypi, nemo poterit dubitare, qui consideraverit & nomen frequens, & analogiam perpetuam, inter utrosque. Siquidem quicquid fuit primogenitus in Familia Patris, id ipsum
 D longe

longe excellentiori sensu & emphasi, Christus fuit, & est, in Ecclesia Dei universa, quæ est Dominus ejus, Hebr. III. 2 -- 5. 1 Tim. III. 15. per omnes Oeconomias, sub Promissione & V. T. non minus ac sub Novo; Nam exitus ejus fuerunt a principio, a diebus seculi, Mich. V. 1. & Ἰησους Χριστος ἦσθαι καὶ σημερον ο αὐτος καὶ εἰς τας αιωνας, Hebr. XIII. 8. II.) Ipse ut Messias promissus nomine בכור *primogeniti* expresse designatus legitur, Ps. LXXXIX. 28. וְאֶתְּמַנְתִּי אֵימָן אֶתְּמַנְתִּי אֵימָן אֶתְּמַנְתִּי *etiam ego primogenitum constituam eum, superiorem Regibus terræ*, conf. Hebr. I. 6. III.) In N. T. proprio suo Natalium jure dicitur πρωτοτοκος, Matth. I. 25. *primogenitus inter multos fratres, sibi acquisitos; sanguine suo redemptos adoptivos Dei filios*, Rom. VIII. 29. hinc IV.) Triplici ita primogenitura υπεροχη a Patre decoratus accepit α) *Regnum sibi dispositum*, Luc. XXII. 29. & factus est nobis a Deo Dominus & Christus, Act. II. 36. Dominus omnipotens, Apoc. IV. 8. qui ut Dominus & Rex populum suum regit, & contra quoscunque hostes potentissime defendit, Ps. II. 6. CX. 1. ff. tanquam αρχηγος της σωτηριας *Dux salutis*, Heb. II. 10. β) accepit *portionem duplicem*, hoc est, multo præstantiorem, dum unctus est oleo lætitiæ præ sociis suis, Ps. XLV. 8. καὶ ἐν μελεω Joh. III. 34. imo cum esset Primogenitus Μονογενης Patris, Joh. I. 14. positus est κληρονομος παντων *heres omnium*, Hebr. I. 2. *Vindex seminis Abrahami* Hebr. II. 16. & possessor gentium ac finium terræ, Ps. II. 8. γ) accepit *Sacerdotium*, quoniam nemo sibi sumit hunc honorem, sed qui vocatus a Deo sicuti Aharon, ita & Christus, Hebr. V. 5. & constitutus est Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedeci, ibid. V. 6. ff. VII. 1. Ab eodem Apostolo alibi Christus describitur non solum

lum ut πρωτοτοκος πασης κτισσεως *Primogenitus omnis creaturae*, & εκ νεκρων ex mortuis, πρωτευων εν πασι in quo omnis plenitudo habitat; sed & qui (ut Sacerdos) pacem fecerit per sanguinem crucis suæ, Col. I. 15-20. Accedit, quod cum in Christo tanquam capite censeantur Fratres ejus ut membra συσσωμα, hinc hæredes Dei & cohæredes Christi, Rom. VIII. 17. 23. ipsi quoque prerogativarum Primogenituræ ejus reputantur esse participes; Unde Electi omnes a Mose vocantur מלכות כהני *Regnum Sacerdotum*, Exod. XIX. 6. i Pet. II. 9. & universa fidelium Panegyris *Ecclesia primogenitorum*, Hebr. XII. 23. qui proinde non *Reges* solum, sed & *Sacerdotes* appellantur: certissimo argumento Sacerdotium ante legem Mosaicam, una cum cæteris honoribus atque commodis fuisse concessum Israelitarum PRIMOGENITIS.

TANTUM.

ΜΟΝΩΙ ΤΩΙ ΘΕΩΙ Η ΔΟΞΑ.

Not. p. 8. l. 26. l. tantum non p. 12. l. 8. Mal. I. p. 26. l. ult. liberæ.

Ad Doctissimum Dn. Auctorem & Respondentem.

ERgone calcorum quæ pignora prima Parentum
 Grata prehensarint, querere, jura juvat.
 Ut quæ fumosas reliquis præ fratribus aras
 Imbuerint calidis thure, cruore, prece.
 Imperiis quorum non victis debuit olim
 Fœcundæ reliquis cedere matris honos.
 Cetera natorum lubeat si commoda nosse
 Primorum præsens pagina culta docet.

D 2

Pa.

*Pagina & ingenii soboles quæ prima sagacis,
Præque sequuntur plurima jura tenens.
Pagina Cecropio nobis memoranda cothurno.
Est insueta tibi sollicitanda chelys.
Quid? potius jubeas alienorum ora tacere:
Laudes Auctori ferre perita Tuo.*

Hicce paucis prolixum animum erga Dn.
Auctorem, Amicum & Cognatum æ-
stumatissimum testaturus, laborum
Ejus primitiis adplaudebat
NICOL. GUIL. SCHRÖDERUS,
J. I. F.

P*ulpita dum scandis, felix sub PRÆSIDE TANTO
Ingenii clarum das specimenque Tui:
Gratulor. Ut coeptis adsit spirabile Numen,
Ut capias laudum præmia digna, precor.*

Hicce, Nobilissimo Dn. Auctori Amico
suo perquam dilecto, Dissertationem
hanc, Doctissimum ingenii fœtum gra-
tulatus, sui memoriam inculcare voluit
G. C. CLAUSENIUS,
Theol. St. Opp.



n.
c.
m
s,
o
m
-
it
s;



051491

ULB Halle

3

004 220 102





DISSERTATIO ACADEMICA,

DE
VETERUM HEBRÆORUM
PRIMOGENITIS,
ET EORUM PRÆROGATIVIS,
MAXIME SACERDOTIO,

QUAM
SUB AUSPICIIS
SERENISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS
ET DOMINI,

DN. FRIDERICI,
HASSIÆ LANDGRAVII, RELIQ.
ACADEMIÆ RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI,
PRÆSIDE
VIRO PLURIMUM REVERENDO, CLARISSIMO,
DOCTISSIMO,

JOH. JOACH. SCHROEDERO,
SS. THEOL. PROF. EXTRAORD. ET LL. SS. NEC NON ORIENT.
HIST. ECCL. UT ET ANT. JUDAIC. ORDIN.
FAUTORE AC PRÆCEPTORE PIE COLENDO
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI

SUBJICIT
AUCTOR ET RESPONDENS
JOHANN DANIEL BOCKWITZ,
ZIEGENHAINA - HASSUS.

AD DIEM XXIII. SEPT. 1801. IN PHIL. ACROAT.
MARBURG. TYP. PHIL. CASIM. MULLERI, ACAD. TYP.

Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black